



Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

Articulus III. Refellitur vulgaris argumenti nostri retorsio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)

tholica proscribi, ac severissimè prohiberi, ut neque liceat illas aliquando, vel in privatam disputationem adducere, nisi damnandas, ac detestandas: Id, inquam, si voluerint Probabilistæ nobis largiri, nihil ultra cum ipsis disceptabimus de voce practicæ probabilitatis, neque renuemus ipsis concedere, opiniones, quas ipsi, juxtà principia, sua practicè probabiles dicunt, probabiles re verà esse hoc genere probabilitatis. Porro quid nos contendimus, & ostendimus, nisi benignam Recentiorum sententiam obtrudere in Ecclesiam, morales opiniones, ut practicè probabiles, quæ scandalosæ re ipsa sint, & animabus in praxi perniciosæ? Id nos cum evidenter ostenderimus, optent Recentiores, quod placeat.

28. Patet igitur, omnes opiniones damnatas, antequàm damnarentur, fuisse re verà practicè improbabiles, neque negari hoc posse citrà insignem injuriam, ac contemptum, auctoritatis Apostolicæ Sedis. At si nullæ ex damnatis opinionibus erant re verà practicè probabiles, licèt falsò probabiles crederentur, nec opiniones illæ, quæ, modò dicuntur probabiles in via Probabilistarum, probabiles re verà sunt, sed falsò reputantur probabiles, ut demonstratum est; ergo opiniones modò probabiles in via Probabilistarum, probabiles verè non sunt, sed falsò dicuntur probabiles: ergo (quod tandem legitime consequitur) benigna Recentiorum sententia apertè pugnat cum Decretis Pontificum, adeoque ex eisdem Decretis evidenter convincitur reprobata.

ARTICULUS III.

Refellitur vulgaris argumenti nostri retorso.

§. I.

Retorso argumenti.

29. **S**ed heu nos miseros, qui foam fecerimus, in quam

nobis sit incidendum! Sanè argumentum nostrum, si quidquam valeat, regulam etiam moralis honestatis, quam nos designamus, exsufflat. Quid enim? Non ne aliquæ opiniones damnatæ non probabiles tantum, sed etiam multò probabiliiores, quàm contrariæ, vel erant, vel communiter credebantur? Profectò sic nos ipsi suprà posuimus. En igitur argumentum convincens contra sententiam nostram sub eadem forma institutum.

30. Vel opiniones illæ probabiliiores, antequàm damnarentur, erant in via nostra verè probabiles, tutaque, ac recta operandi regula, vel non erant? Non primum, cum evidenter constet ex prædictis Decretis Pontificiis, ipsas fuisse re verà scandalosas, ac perniciosas, quod verè non coheret cum vera ipsarum probabilitate. Si secundum optemus: ergo nec opiniones modò probabiles juxtà principia nostra (idest, probabiliiores operanti, quasque prudenter possit absolute, ac directè, existimare veras) verè, & re ipsa probabiles sunt, sed falsò dicuntur probabiles: nam eadem est ratio de utrisque, nempe de illis ante, & de istis post damnationem, & omnia, quæ superius inducebamus, similiter hic urgent, si quid sunt. At opiniones illæ damnatæ, etiam antequàm damnarentur probabiles verè non erant, sed falsò à nobis dicebantur probabiles: ergo nec opiniones omnes, quæ modò à nobis probabiles dicuntur, probabiles re verà sunt, sed falsò, & per errorem reputantur probabiles: ergo (quod tandem legitime consequitur) sententia quoque nostra, quæ ponit illas verè probabiles, ex eisdem Decretis Pontificiis evidenter convincitur reprobata. En ergo, inquit, argumentum tuum evidenter sophisticum, & fallax, nisi fateri velis, sententiam quoque tuam evidenter esse damnatam.

31. Sic argumentum nostrum planè convincens retorquere contra nos

nos solent juniores quidam, Probabilissimi sui minus intelligētes, quam amantes.

Nam, si regula moraliter agendi, quam nos adstruimus, ac propugnamus, foret illa, quam nobis Recentiores affingunt, ultrò hic, & ingenuè fateremur, altè nos hucusque obdormiisse, atque ad nostri Pastoris vocem statim expergisceremur, & sententiam, quam hactenus tenueramus, reprobaremus, & execraremur; absit nanque, ut contendere velimus, aliquidve, præsertim in re tanta, præter veritatem amemus. Sed enim verò Recentiores isti insigniter hallucinantur, & propriis assueti principiis, ex illis sensum nostrum cum suo sensu penè confundunt, ac de sententia nostra, quæ toto cælo distat ab ipsorum sententia (scilicet ut verum à falso), adeò sinistrè censent, ut eodem hoc argumento utramque pariter urgeri, aut non urgeri, indubitanter sibi persuadeant.

32. Nos igitur non ponimus, ut regulam agendi, opinionem probabiliorē, etiam quæ talis habeatur à multis, & quæ ab ipso operante directè, & absolutè vera putetur. Immo verò censemus fieri posse, ut operans sequatur opinionem multorum gravium Doctorum, quam ipse quoque veram existimet, & nihilominus rectè non agat, sed potius, non materialiter tantum, verum & formaliter peccet, si videlicet in tali judicio culpabiliter erret. Id, quod longè certissimum arbitramur, & à nemine verè Theologo vocari in dubium posse suprà evicimus, alibi etiam fusiùs ostendendum; non quidem sub his terminis, sed sub aliis omninò æquivalentibus, sub quibus cum neotericis Probabilistis quæstionem exactissimè disputabimus totius nostri Operis momentosissimam; ex cujus solida resolutione dependet suprema velut excisio totius Probabilismi.

Interim accipe, tyro Probabi-

lista, summam doctrinæ, & sententiæ nostræ, ut à similibus retorsionibus, vel abstineas deinceps, vel, si libuerit, sine excusatione oleum & operam perdas.

§. II.

Retorsionis equivocatio, & summa nostra doctrina consensio cum doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

33. **E**Rgo nos cum Psalmista *viam veritatis elegimus.* Psal. 118.

Neque enim aliam ullam rectam agendi regulam agnoscimus, quam veritatem ipsam, sive judicium re ipsa verum, idque non temerè, seu fortuitò, sed maturè, consideratè, adeòque prudenter conceptum. Porro judicium omne verè probabile, & non tantum quoad homines, & apparenter, debet esse rationis opus, atque adeò re ipsa verum; nam, ut rectè Augustinus, *Ratio non dicenda est, aut existimanda, nisi vera.* Nec tamen idèò exigimus ad agendum honestè, judicium prorsus, & absolutè certum; sed sufficere dicimus opinionem verè probabilem, idest, quæ concipiatur post sufficientem rei discussionem ex motivis, vel unicè verosimilibus, vel saltem verosimilioribus, & notabiliter præponderantibus oppositæ partis motivis, ita ut ab operante absolutè vera putetur, non ex affectu aliquo inordinato, sed ex sincero potius amore, honestatis, & veritatis.

34. Ejusmodi judicium opinativum, si verum sit re ipsa, est apud nos judicium verè probabile; & sufficiens, ac recta conscientie regula. Quod si verò contingat esse re ipsa falsum, erit quidem probabile apparenter, & in existimatione duntaxat; etenim, quod est falsum re ipsa, à nemine potest probari, nisi per deceptionem, & errorem: quod verò non nisi per errorem probari ab ullo potest, probabile re verà non est, sed

O o 2 fal-

Sup. li. I.
controv. 2.
& 3.

falsò reputatur probabile, adeòque nec est recta conscientiae regula, nisi apparenter solùm, & quæ falsò credatur, atque recipiatur ut recta: idque, vel culpabiliter, vel inculpabiliter, prout ipsa operantis deceptio, vel culpabilis fuerit, vel inculpabilis.

35. Denique, tam non credimus fieri posse, aliquam opinionem re ipsa falsam, quantumcunque probabilis, aut communis habeatur, esse rectam agendi regulam, ac fieri absolūtè non potest, ut falsitas sit veritas aliquando. Sanè regula recta (secundaria videlicet, & creata) unicè talis est per veram, ac realem conformitatem cum prima regula honestatis moralis: quis verò precor, vel concipere possit, errorem de honestate, ac rectitudine operationis, conformari re verà, cum summa rectitudine, ac veritate? Hæc est nostra summa doctrinæ:

36. Nunc vide, quàm non tangat sententiam nostram argumentum sanè convinces cõtra benignum Probabilismum expensum. Nempè nos, omnes opiniones damnatas, quantumcunque probabiles putarentur tempore antecedenti ad damnationem, indubitanter credimus, ac profitemur, scandalosas fuisse re ipsa, verèque perniciosas in praxi, atque adeò probabiles, & tutas, non nisi apparenter, ac falsò; re verà tamen penitus improbabiles, quæque ex magno Dei beneficio, & Sedis Apostolicæ summè laudabili providentiâ ab Ecclesia Catholica projectæ sint, tanquam zizania sanæ doctrinæ, quæ in tritici speciem efficta Christianis moribus corruptionem, & animabus perniciem afferebant per fallacem securitatem. Tantundem verò nunc, & tenemus, & dicimus, de cunctis opinionibus moralibus, quæ falsò affirmant, aliquid esse honestum, cum inhonestum coram Deo sit, quamvis valdè probabiles existimentur. Immo, quò magis communes sunt, frequentiusque deducuntur ad praxim, eò peiores

esse re vera incautisque animabus perniciosiores, & dolemus, & affirmamus.

37. Hinc verò quid contra sententiam nostram, & regulam agendi, quam consignamus? Sanè Decreta Summorum Pontificum præfatas opiniones damnantia, non tantùm illam neque leviter tangunt, sed magnopere potiùs stabiliunt, ac roborant. Utique ex illis palàm habemus, non umbratiles quasdam, & apparentes probabilitates; sed opiniones tantùm re ipsa veras, esse doctrinas tutas, ac sanas, adeòque rectam agendi regulam, quæ non merè apparentem, sed veram generet morum honestatem, non (ut illam) cum veris vitiis infelicitè coherentem. Theologiam istam veram, & sanam docent nos Summi Christi Vicarii, quam nos simpliciter, ac libenter suscipimus, & gratias Deo habemus perquâ humillimas, quòd ab illa nihil discedimus in morum doctrina tradenda.

38. Hæc si benigni Theologi factis attenderent, haud ita confidenter opinor ad ignorantiae tenebras confugerent, nec humanis erroribus adeò deferrent, ut homines per illos non modò passim à peccato excusari, sed verà insuper honestatem morum, & æternam ipsam salutem obtinere posse docerēt. Enimverò Theologia ista non à Magistro nostro, verà sapientiâ, & luce; sed ab alio principio esse videtur. Quis enim credat eos, *Qui sic in tenebris, quasi in luce ambulant, tenere viam Christi dicentis de seipso, Qui sequitur me non ambulat in tenebris*, nisi, qui tenebras credat esse lucem, idest, errorem esse veritatem?

Iob. 24.

Ioan. 8.

§. III.

Vis argumenti nostri ineluctabilis contra modernum Probabilismum concluditur.

39. **J** Am igitur in via recentium Probabilistarum probabilitas pra-

practica verè talis opinionum moralium, quæ recta sit, & tuta regula agendi, non petit, ut opinio verè probabilis, vera re ipsa sit; sed optimè cohæret cum eo, quòd sit falsa re ipsa; immò etiam cum eo, quòd actu ab operante falsa, vel judicetur, vel saltem possit actu prudenter judicari. Id, quod negari à nemine potest, nisi qui, vel terminos ipsos, & vulgaria principia Probabilismi, aut ignoret omninò, aut certè non attendat, ac penetret.

40. Utique definitio opinionis probabilis, quæ traditur à Probabilistis, nò fit per veritatem ipsius opinionis, sed per speciem tantum, & apparentiam ipsius veritatis, & quidem, quæ cohæreat cum erroris æquali, vel majori apparentia. Hinc consequenter docent, utramque partem contradictionis esse simul verè probabilem; cum tamen evidens ex Logica sit, alterutram ipsarum esse re ipsa falsam. Præterea quisquis sequitur opinionem gravium Doctorem ab aliis non rejectam, ut improbabilem, licet ipsi operanti æquè, vel minùs probabilis sit, adeoque, si vera sit, si vera falsa, quin licet magis falsa sibi videatur, semper juxta Probabilistas prudenter, & honestè operatur, & operatio ipsius approbatur à Deo per voluntatem, aut legem subsequentem. Non ergo licet in quæstionem adducere, an vera, & practica probabilitas in via Probabilistarum, prorsus de se præscindat à veritate illius opinionis, quæ verè est juxta ipsos, & practicè probabilis.

41. Hinc patet, illas opiniones damnatas, de quibus hætenùs sermonem habuimus, in principiis moderni Probabilismi dicendas esse verè, ac practicè probabiles antecedenter ad damnationem, quamvis nobis jam constet, esse re ipsa falsas: aut certè definitio opinionis probabilis, quam Recentiores omnes propugnant, inepta erit, ac delusoria, quæque nullam moralem opinionem facere possit verè probabilem; nam,

quòd opinionibus illis pro eo statu omninò conveniret, certum est, neque ipsi dissentirent. Aut ergo nullæ sunt absolūtè in via Probabilistarum opiniones probabiles, non fictæ, & apparenti, sed vera, & practica probabilitate, aut opiniones illas, antequàm damnarètur, fuisse in eadem via, non apparenter solum, sed verè, certò, ac practicè probabiles, nulla ratione potest in dubium revocari. Denique, si non hoc verum censeant, profectò redierunt aliquando, & abjurarunt Probabilismum suum. Projiciant ergo arma, & dextras illis damus.

42. His verò positis, argumentum nostrum (quod nostram, & veram sententiam non modò non oppugnat, ut vidimus, sed mirificè potiùs firmat, & stabilis) sententiam Recentiorum planè profligat, & ab ipsa Sede Apostolica reprobata, quodammodo esse demonstrat.

Nam, vel omnes opiniones damnatæ, an equàm damnarentur, erant re verà practicè improbabiles in via Probabilistarum; vel aliquæ saltem ex ipsis erant probabiles verè, ac practicè? Primum Recentiores nec dicunt, nec dicere consequenter possunt. Secundum verò evidenter convincit, opiniones verè probabiles in sensu Probabilistarum, & quæ secundum principia ipsorum sunt tuta, ac recta operandi regula, non semper absolūtè, & simpliciter probabiles esse, nec posse licitè deduci ad praxim, sed potiùs sæpè esse re verà scandalosas, & in praxi perniciosas, quæque, tanquàm pestifera doctrinæ, & exitiales Christianis moribus, ab universa Ecclesia Catholica protrudi absolūtè mereantur, ut non paucæ de facto protrusæ sunt, & alias protrudendas speramus.

CON-